



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

9. Justitia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

PASSUS IX.

Justitia.

TEXTUS.

*Reddite , quæ sunt Cæsaris ,
Cæsari ; & quæ sunt Dei ,
Deo. Matth. c. 22. 21.*

Cognitio.

Justitia est virtus , seu habitus voluntatis ,
inclinans ad suum cuique tribuendum.
Prima est erga Deum ; secunda erga pa-
triam : tertia erga parentes : quarta erga
omnes. Justitia est triplex : alia est *legalis* ,
alia *distributiva* , alia *commutativa*. Ad
quas duo serviunt principia : I. *Quod ab alio
oderu tibi fieri , vide ne tu aliquando alteri
facias. Tobia c. 4. 16.* II. *Omnia quæ-
cunque vultis , ut faciant vobis homines ,
& vos facite illis. Matth. c. 7. 12.*

I. Actus justitiæ legalis , prout est
in Superioribus.

1. Zelare pro legibus. 2. Justa subditis
præcipere. 3. Benè gesta præmio afficere.
4. Delicta punire. 5. Subditorum commo-
dis

dis prospicere. 6. Pericula, aliâque mala arcere.

Prout est in subditis.

1. Legibus obedientiam præstare. 2. Concordiam cum aliis fervare. 3. Meminem lædere. 4. Commune bonum procurare, & proprio antepone.

II. Actus Justitiæ distributiæ,
in Superioribus.

1. Juxta necessitatem, aut alios titulos, proportionem certam exigentes, communia bona distribuere.
2. Juxta quantitatem delicti, & delinquentis qualitatem pœnam infligere.

In subditis.

1. Nihil extra necessitatem petere. 2. Ad dignitates se importunè non ingerere, eas præcipuè, quæ excedunt meritum.

III. Actus justitiæ commutativæ.

1. Nemini damnum inferre, verbo, consilio, facto, in bonis, in honore & corpore.
2. Omnia proximi facta benè interpretari.
3. Bonum alterius pro viribus procurare.

Consideratio.

Quanto amore complecti debeas justitiam, quam Deus justus in omnibus operibus

ribus suis à te requirit, docebunt tituli sequentes : nam I. Specialiter enim Deus à te exigit : *Facere iudicium & iustitiam.* Mich. c. 6. 8. II. Bonum Reipublicæ eam postulat : *Iustitia elevat gentem.* Proverb c. 14. 34. *Solum Regis firmatur per iustitiam.* Ib. c. 16. 5. 12. III. Bonum particulare cuiusque eam requirit : nulli enim membro benè esse potest , nisi capiti , cæterisque membris aptè cohæreat. Accedit , quòd iustitia in cælo præmium & coronam iustitiæ ; sicut ex adverso iniustitia pœnam in inferno promeretur. An non igitur maximo amore prosequenda est iustitia ?

Petitio.

Tribue mihi, Domine, virtutem iustitiæ, quâ cuique, quod suum est, libens tribuam : majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, mihi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam ; ut in die iudicii obtineam coronam iustitiæ, quam mihi reddet justus Iudex.

Aspirationes.

I. *Vsq̄ue ad mortem certa pro iustitia ; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Eccli. c. 4. 33.

II. *Vtinam redderem Superiori, inferiori & aqua-*

& equali, cuique quod debeo. S. Bernard.

*111. Beati, qui custodiunt iudicium,
& faciunt iustitiam omni tempore. Psal.
105. 3.*

PASSUS X.

Religio.

TEXTUS.

*Dominum DEUM tuum ad-
rabis, & illi soli servies.
Deut. c. 6.*

Cognitio.

Religio est virtus, quâ Deo, tanquam
omnium Creatori, ac Domino debitum
cultum exhibemus.

Actus ejus sunt:

1. *Honor Dei*, quo altam de eo æstima-
tionem concipimus, & quemadmo-
dum creaturam decet, Ei ut Creatori
nos submittimus.
2. *Devotio*, seu promptitudo mentis ad
omnem Dei cultum & obsequium.

3. Ora-